

IOANNIS SCHÖNERI IN CONSTRUCTIONEM atq; usum rectanguli, siue radij Astro- nomici, annotationes.

PRO Constructione rectanguli instrumenti, siue radij Astronomici, fiat baculus, siue fustis quadrangularis cum superficiebus planis longitudinis 6. uel plurium cubitorum, quem hic representari uolo per lineam A B, Eum diuides in partes æquales quotlibet, nam quo plures eo laudabilius irit opus. Placet tamē hunc diuidere in partes 1300. Hoc modo: Diuide eum primo in 13 æquales portiones, quarum quælibet continebit 100. deinde quælibet in 10 partiunculas, quarum quælibet 10 representabit. Demum inscribe numeros partium, ut in linea A B, per 100 scandendo, donec ad 1300 perueneris, & paratus erit fustis. Deinde fiant etiā brachia, siue pinnacidia diuersarum quantitatum, & si omnia uelles conficere, fierent iuxta diuisionem lineæ A B, 21. nam sic primum & minimum pinnacidium ualeret 10 partes fustis, secundum 20, tertium 30, ita quod maximum & ultimum ac 21 haberet 210. partes æquales illis diuisionibus & partibus fustis A B. Sint autem perforati in medio, ut fustis intrare possit & ut faciant rectos angulos cum eo, ita tamen quod circa eū hinc inde traduci queant absq; impedimento. Circa finem uero cuiuslibet pinnacidij, dispone clauiculum subtilem, aut acum. Similiter etiam circa A oculum centrum, & erit paratum hoc instrumentum.

Pro usu huius trianguli Astronomici.

Applica fusti unum de pinnacidijs, & id quod secundum æstimationem tuam, conuenientius apparebit distantia stellarū considerandā. Quo facto traduc pinnacidium hinc inde in baculo, donec ambæ stellæ simul ab A per acumina clauiculorū uideantur. Nā lineæ sic pcedentes ab A centro uisus, & terminate ad stellas, causant triangulum æquilaterum. Et numerus partium brachij, siue pinnacidij sic in fuste quiescentis Sinum primum insinuat. Numerus autem in fuste ab oculo A, ad usq; lineam fiduciæ pinnacidij, ubi clauiculi sunt, Sinum secundum denotabit.

